

ventres quæstus gratia imitari videri volunt. Pars sic orat, vt dubitet, num quæ orant, in conspectu Dei ascendant. Sic vulgus orare solet, & qui ex præscripto, vel consueto, non ex animo ac veraci corde orant. Pars inter orandum vsque adeo corde aliud agunt, vt profus nesciant, quid ore dicant: tam abest videlicet, vt credant orationem suam venire in conspectum Dei. At sancti sic orant, vt non dubitent, orationes suas penetrare ad aures Dei.

Expendamus simul & hoc quantum nobis debeat adferre consolationis, quod oratio afflictorum, seseq; coram Deo humiliantiu n, nubes penetrat, & in conspectum vsq; Dei ascendit. Quem dabis mihi principem, ad quem subditorum & afflictorum oratio manè perueniat? Quantis hic patrocinijs opus est? At hic cuius afflictio liberri num est, mox manè, media etiam nocte & omnibus omnino momentis, oratione sua venire in conspectum Dei. It licet queratur hic Propheta, non exaudiri se: primus tamen consolationis inueniendæ gradus est, non dubitare, quod eorum orationes, qui ex corde clamant, ad Deum veniant.

Vt quid Domine deseris animam meam? Notanda est hæc piorum querela, frequens in Scripturis, quæ se deserit a Deo in tribulationibus queruntur: cum Deo tamen nihil possit minus competere, quam si suos, ad se clamantes, deserat. Dei siquidem est proprium, non deserere, sed liberare afflictos: non auertere faciem a tribulatis, & se inuocantibus: sed oratione illorum placidè suscipere, & speratam opem ferre. Nam hoc nobis de illo vniuersa Scriptura, & ipse quoq; de seipso prædicat. Hac sunt p̄i erga illum fide præditi, hac eum si iucia inuocant: nempe, tanquam Deum suum, potentissimum vbiq; liberatorem, ac fidissimum protectorem. Nihil ergo animis illorum inopinatus ac molestius accidere potest, quam si derelictionis sensu afficiantur. Quapropter etiam non simpliciter hic Propheta dicit, *Deseris Domine animam meam*: sed, *Vt quid deseris Domine animam meam? vt quid abscondis faciem tuam à me?* Sicut & Christus in cruce clamabat: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me?* Non vident rationem sancti, cur hoc fiat. & quoniam hæc illis derelictionis tentatio præter omnem spem & expectationem longè aliter sperantibus accidere solet, ideo ad hunc modum queruntur. Verùm tentationis sunt hæc verba, non veritatis. Neq; enim verè suos Deus deserit, sed dum vel non confestim, vel non eo modo quo speratur, occurrit, deserere videtur.

Adflictus sum ego, & deficiens à iuuentute Duo sunt hæc versu notanda. Vnum, quod se à iuuentute adflictum: alterum, quod deficiens se ac trepidantem esse dicit. Prior nobis particula diuinam ac paternam commendat disciplinam, qua suos cœlestis Pater varijs afflictionibus à puero exercere & erudire solet. Sic supra Psalm. 71. vers. 17. dicit: *Deus docuisti me à iuuentute mea.* & in sequentibus subiicit: *Ostendisti mihi tribulationes multas & malas, &c.* Sic solent prouidi patres à pueris erudire filios suos: at qui indulgentes sunt, liberos suos corrumpunt, & ignauos reddunt. Altera particula nos admonet, quæ sit etiam sanctorum in hac paterna disciplina imbecillitas ac trepidatio. Hanc exprimit, cum se deficere ac trepidare dicit. Notanda sunt itaq; hæc duo propter adflictos, vt & disciplinam Dei agnoscant, & propter imbecillitatem ac trepidationem suam non desperent.

Quæ tres vltimos versus conceraunt, supra vers. 7. & 8. notata sunt.

PSALMVS LXXXIX.

INTELLECTVS ETHAM EZRAITÆ.

ARGVMENTVM PSALMI.

Celebrat hoc Psalmo Propheta bonitatem ac fidem Dei, in eo præsertim, quod sœdus cū domo Davidis in sempiternum pepigit: in quo pulchrè regni Christi, cuius typus in regno Davidis fuit, & stabilitas & perpetuitas delineatur.

Dispositio Psalmi.

1. Sunt autem Psalmi huius quinq; partes. Prima propositionem habet, quid videlicet hoc Psalmo Propheta celebrandum sibi in Deo desumpserit, vers. 1. & 2.
2. Altera, oraculum Dei, de sœdere cū Dauide inuocatur, vers. 3. & 4.
3. Tertia, insigni quadam doxologia fidem, bonitatem, potentiam & inslitiam Dei celebrat, à versu quinto vsq; ad decimumnonum.
4. Quarta promissionem Dei inducit, quam Dauidi ac posteris eius fecit, à versu 19. vsq; ad 38.
5. Quinta, querimoniam habet de prophanatione ac vastatione regni ac populi Davidis, cum petitione ad Deum, vt sœderis cū Dauide inuocari memor esse velit, à 38. versu ad finem vsq; Psalmi.

PARS PRIMA.

BONITATEM Domini in aeternum cantabo, generationi & generationi VERS. 1.
notam faciem fidem tuam ore meo.

2. Quoniam dixi, In aeternum bonitas edificabitur: celos firmasti, fides tua in eis.

Bonitatem Domini. Ebr. est *חסד ייחיה*, Bonitates Domini. quod vetus legit, Misericordias Domini: sicut & Arabs & Hieron. & Græcus.

Quoniam dixi. Ebr. *כי אמרת* Græc. legit: *ὅτι εἶπας*, Quas dixisti. Et Arabs: Quoniam tu loquutus es. Et Hieron. quoq; Quia dixisti legit. Verùm Chald. Ebræa sequutus, legit *אמרתי ארבע* id est, Quomā dixi.

In aeternum bonitas edificabitur. Ebr. est *חסד ייבנה עולם* quod quidam cū Chaldæo reddunt: *Mundus misericordia edificabitur.* Nam *עולם* aliquando in Scripturis pro mundo ponitur.

Calos

Jacob. 5.

Eccles. 35.

OBS. 3.

Matth. 27.

At bi dicit.

Quoniam nō derelinquis sperantes in te Domine.

OBS. 4.

LECTIO.

Vers. 1.

Vers. 2.